

studio coluit Botanicen et eam docuit, sed praepropero fato abreptus fuit Halae.

Pro missis seminibus a Nob. Consiliario tam egregio Botanico Tibi illique immortales grates reddo. imprimis optarem vivam videre Clypeolam illam n. 6. quae Alyssum mont. 1. Clusi.

Hippomarathrum non vidi, adeoque non potui ad genus referre.

Si demas involucrum universale et parziale in Umbellatis, vereor quod earum diagnosis admodum difficilis evadat. Laetor quod ad illa licet saepius recurrere. novi optime quod in duabus speciebus classeos deficient, ubi praesentia in reliquis; sed an hoc tanti, ut ideo non ab involucro liceat sumere characteres; hoc idem dici tum posset de quibusdam apetalis, Ruellia, Campanula etc. quod corolla nihil faceret. Novi involucrum oriri a foliis, sed etiam perianthium oritur a foliis, an ideo Calyx non ingrediatur characteres genericos.

Sed quaesivisti annon *Pericarpium sufficiat ad generis distincti constitutionem*. Dixi de hoc in Philos. Botanica. Characteres non constituent genus, sed genus characteres. notae debent tradi prout reperiantur, nec possum dicere in vocabulo quanam litera praevaleat. Quaeras itaque qua in re essentia veri generis consistat; ad hanc quaestionem facile responderem coram; difficile possum mentem meam explicare in literis, sine diffuso dicendi genere, et forte tamen vix ac vix crederes, nisi multa vidisses, cum demonstrando deberem percurrere totam Botanicen, e. gr. Ranunculos norunt omnes leviter versati primo intuitu; semina dissimilia, petalorum et Calycis foliola numero, figura, proportionem diversa. sunt pori ad unguis petalorum; sed non ideo solum genus, licet haec nota conveniat. Hellebori habent sua Nectaria; Caltha caret nectariis, an itaque Caltha posset esse species Hellebori absque nectariis. Si admitteres unam positionem in primordio, facillime demonstra-